UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiqvae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqva Monvmenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illvstrandam, Nvnqvam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

De iudice Altahensi, qui apud Torndorff in Cœmeterio Ecclesiæ B. Qvirini domum ædificauerat. Ode Dicolos Distrophos. Metrvm Phaleucium, ex Spondeo, Dactylo, tribus Trochæis. Alter versus Elegiacus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64144

Visual Library

De iudice Altahenſi, qui apud Torndorff in Cœmeterio Eccleſiæ B. QVIRINI domum ædificauerat.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. METRVM Phaleucium, ex Spondeo, Dactylo, tribus Trochæis. Alter verſus Elegiacus.

CIRCA Danubium QVIRINVS olim
Notus ab Eccleſiæ claret honore ſuæ,
Qua ſignis varijs frequens coruſcat
Ritè patrocinij gloria diua ſui,
Genti Boëmicæ manet celebris,
Quæ laris atque rei vota dat omnis ei:
Altenſi populo patet verendus,
Quiquè plebeiam continet Eccleſiam.
In cuius cimiterio ſacrato
Structa fortè domo pulſus agebat homo.
Qui iudex ſocijs tamen rebellans
Victus ceſſit eis à laribus proprijs.
Ruptis Eccleſiæ vir ille muris,
Hoſpitio tacitum fecerat introitum.
Ceſſarunt ibi ſigna gratiarum
Martyris ipſius munere crebra prius.
Indignata ſalus manum retraxit,
Immeritosq́ ſequens, rara fit, ante frequens.
Quod non improbus iſte pertimeſcens,
Vix anni ſpacio manſit in hoſpicio.
Nec plenè reuolutus ibat annus,
Martyris ex ira fit domus vſta pyra.
Nunc ſtultus reparare non veretur:
Quæ malè ſtructa fuit rurſus ab igne ruit.
Inſenſatus eam refecit ille:
Sed plectebat eam tertia flamma ream.

Iam

Iam quarti ſceleris pudor receſſit
Durata facie, ne via ſit veniæ.
Nam quartò reparata flagrat ædes.
Victrix vindicta crimina ſoluit ita.
Tandem quippe recogitans QVIRINVM,
Tot vicibus vetitum deſerit introitum.
Interrupta repletur ora muri;
Creſcit adacta foco gloria digna loco.
Sed non diſsimili furore fertur,
Filius eiuſdem ædificans itidem,
Annis quæ geminis Deo rebellis
Bis fruſtra reparat bis quoq; flamma vorat.

De paralytica ſanata in præfata *Eccleſia.*

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.
Metrum Dactylicum Archilochium Tetrametrum, recipiens pro ſpondeo vel Dactylo Anapæſtum.

MATER plebani fuit ægra.
Paralyſi ſic iam religata,
Vt niſi ſella proueheretur
Nuſquam prorſus progrederetur.
Ea voto ſupplex delato
Ad præfatam Martyris aulam
Queſta dolorem mente fideli
Speratam petijt medicinam.
Quam cum deuota prece poſcens
Munus depoſuiſſet ad aram,
Mox nerui morbo reſoluti
Cœperunt ſenſim ſolidari.